



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 82. Corinthus urbs a Mahomete occupata, & Insula Peloponesia tributo
subacta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

fectus nominabatur. Hoc tandem foedere Ferdinandus pacificam sui Regni possessionem obtinuit. Sæcul. XV.
A.C. 1458.

§. LXXXII.

*Corinthus urbs a Mahomete occupata
& Insula Peloponesia tributo
subacta.*

Minus tamen favens tranquillitatis aura Orienti adspirabat. Hoc enim anno Mahometes II. Turcarum Imperator Corinthum vi cepit, totumque Peloponesum vectigalem reddidit; cum interea Palæologus Demetrius, & Thomas inter se de imperio litigarent. Hi duo Fratres Latinos pro auxiliis continuo sollicitabant, atque interim mutuis inter se diffidiis propriam suam ruinam omni contentione promovebant. Phranzes amborum, in quos irati Numinis furor tam claris argumentis, signisque erupit, cæcitatem amare deplorat, additque Chalcondyles, Turcas nullum prætermisisse annum, quin Christianos diversis in locis invaderent, indeque eos expellerent; His enim, prosequitur idem Auctor, infideles duo Imperia, duodecim regna, plurimas Provincias, ducentas insigniores urbes eripuisse dicuntur; ac nisi Deus dies Mahometis abbreviasset, forte longe plura, totamque Italiam, in qua

*Phranzes
lib. 3. cap. 3.*

*Chalcondyl.
l. 9. c. 1.*

Sæcul. XV. qua jamjam latius aciem protenderat,
 A.C. 1458. armis subegisset.

§. LXXXIII.

*Abdicatio Patriarchatus Constantino-
 politani a Gennadio facta.*

*Vid. supra
 lib. CX. §. 121*

Gennadius, qui in Patriarcham Constanti-
 nopolitanum electus, ac post illius
 urbis expugnationem a Mahomete in hu-
 jus Sedis possessionem solemniter ritu in-
 troduktus erat, convocavit Episcopos,
 Clericos & populi Christiani Primores,
 iisque præsentibus se Patriarchatu abdicavit,
 postquam annos quinque, & aliquot
 Menses eam Ecclesiam rexisset. Hic ad
 Monasterium S. Joannis Prodromi in Ma-
 cædonia se contulit, invitis licet omni-
 bus, qui Patrem suum Constantinopoli
 retinere studebant; ipse tamen in præ-
 fato cœnobio vitæ suæ finem quiete im-
 ponere voluit. Suffectus illi erat Isido-
 rus vir animi candore ac morum in-
 tegritate præclarus, qui tamen haud diu
 hac dignitate functus, Successorem ha-
 buit Joasaphum, Virum veræ pacis studio-
 sum, ac contentionis inimicum.

§. LXXXIV.

*Bellum in Anglos a Galliarum Rege
 motum.*

Cum Carolus VII. Galliarum Rex æger-
 rime